



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. II. Solvuntur objectiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)



re aliquo medio à priori, quod est impossibile, sed à posteriori; videlicet per ascensum à creaturis ad creatorem: dum ex visibilibus invisibilia DEI conspicimus. Rom. 1. quae omnia clarissimè explicat S. D. in 3. cont. gent. c. 11. dicens: sicut nobis est per se notum, quod totum suà parte sit majus, sic videtur ipsam divinam essentiam per se notissimum esse, DEVM esse, ex hoc, quod sua essentia est suum esse: sed quia suam essentiam videre non possumus, ad ejus esse cognoscendum non per se ipsum, sed per ejus effectus pervenimus. Inde fit, quod aliqui Athei negaverint existentiam DEI. Nemo autem potest judicare oppositum ejus, quod est per se notum, inquit S. D. in arg. sed cont.

CONCLUSIO II. In aliquo sensu, nimirum radicaliter, & supposito aliquali discursu etiam quoad nos per se notum est, DEVM esse. Ita S. D. c. 10. de verit. a. 12. ad. 1. & 1. contra gentes c. 2. Radicaliter hoc per se notum est nobis, quia omnibus hominibus rationis usu praeclatis insita naturaliter est vis facillimo discursu cognoscendi connexionem inter creaturam & creatorem. Omnibus, inquit, S. D. in priori loco, naturaliter insitum est aliquid, unde possunt pervenire ad cognoscendum DEVM esse. Et hoc sensu loquuntur SS. PP. quando dicant cum Damasc. 1. 7. de fide c. 1. & Hier. in c. 1. ad Gal. Notitiam DEI omnibus à natura esse insitam. Dixi etiam supposito aliquali discursu, postquam enim homo ex se ipso tanquam imagine, & à creaturis, tanquam vestigiis, ex totius quoque universi aspectu ad istorum omnium auctorem & gubernatorem, nativè intellectus propensione semel deductus est, per simplicem deinceps apprehensionem hujus termini DEVS, statim inducitur ad cognoscendam & affirmandam ipsius existentiam. Nec aliud videntur velle, vel evincere Auctores in speciem oppositi, cum dicunt, hanc propositionem, DEVS existit, esse nobis per se notam sub conceptu denotante connexionem DEI existentis cum creaturis existentibus: ut enim haec ipsa connexio sit cognita, jam supponitur aliquis discursus, & ascensus rationis.

## §. II

## Solvuntur objectiones.

Obije, 1. auctoritatem sapientum & PP. nam Cicero l. 1. de Nat. Deor. post Platonem: quae fuit, vel est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, & animae praevidiam quandam informativam, sine qua nec intelligi quicquam, nec quæri, nec disputari possit. Damasc. l. 1. de fide c. 11. Nemo est mortalium, cui non hoc à DEO naturaliter insitum sit, ut DEVM esse perspectum habeat. Et l. 7. c. 1. Notitia DEI omnibus à natura est insita. Hier. in c. 1. ad Gal. Perspicuum est, naturam omnibus in esse DEI notitiam. Nissenus l. de beatit. Opinio de Numine Divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus. Praecipue verò D. Anselmus noster in prologo, expendens illa verba psalmi 13. Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS. Post multa alia c. 4. sic loquitur: Nullus quippe intelligens id, quod DEVS est, potest cogitare: quia DEVS non est: licet haec verba dicat in corde: aut sine ulla, aut cum al. qua extranea significatione: DEVS enim est

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

id, quo majus cogitari non potest: quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse DEVM, nequit enim non esse cogitare. Ex quibus conficitur hæc ratio, &

Obije, secundo. Illa propositio est nobis per se nota, 6. cujus extremorum connexio & identitas absque demonstratione aut medio probante solè intelligenti terminorum evidenter innotescit; ita ut intellectus nequeat dissentire; sed in hac propositione, DEVS est, intellectus immediatè cognoscit connexionem extremorum, & inclusionem prædicati existentia in subiecto DEUS: ergo hæc propositio non tantum est per se nota beatis, sed etiam nobis viatoribus. Minor probatur: quia per tò DEUS apprehenditur ens necessariò existens, quo majus & melius excogitari non potest: sed utique intellectus judicat tale ens existere: aliàs de eodem ente simul affirmaret duo contradictoria; judicaret quippe existere, quia ens non existens extra intellectum, non est, quo melius excogitari non potest, eum utique melius sit esse, quam non esse: & tamen ex hypothesi, quod intellectus dissentiret, judicaret simul non existere, quod implicat contradictionem, sequitur ergo, quòd ex ista notatione terminorum convincatur intellectus ad assensum: huic propositioni: DEVS est.

Resp. ex S. D. hic ad auctoritatem sapientum & Patrum, illos affirmare, inditam & insitam omnibus ratione præclatis notitiam DEI, non formaliter & immediatè, sed radicaliter, juxta expositionem 2. conclus. Neque videtur D. nostro Anselmo fuisse alia mens, quam quòd supposita cognitione dependentiæ, quam habet creatura ad creatorem (quod non fit sine discursu) convincatur intellectus ad asserendam DEI existentiam: ita enim loquitur loco cit. Solus igitur verissimè omnium, & ideo maxime omnium habes esse, quia quicquid aliud est, non sic verè est, & ideo minus habet esse. En! ut S. Pater ex contingentia rerum creaturarum adstruat necessitatem existentie in ente primo increato. Verum ulterius

Ad argumentum ex D. Anselmo formatum, ex Angelico Doctore Resp. primò. neg. min. ejusque probationem: vel gratis disting. per tò DEVS, apprehenditur ens necessariò existens, quo majus & melius excogitari non potest: præcisè in virtute hujus termini incomplexi simpliciter apprehensi, nego. in virtute hujus termini prævio discursu ritè & bene intellecti, conc. constat enim antropomorphitas sub hoc nomine DEVS corpus, Manichæos DEUM malum, Gentiles, nescio quos chimericos deastros, idola, dæmonem ipsum intellexisse. Et ideo notanter dixit S. Anselmus: DEVS enim est id, quo majus excogitari non potest: quod qui (NB.) bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Igitur S. P. solum de bene & ritè hunc terminum DEVS intelligente loquitur, eum negat existentiam de ipso negari posse.

Respondeo secundo disting. min. intellectus intelligit inclusionem existentie in subiecto DEVS, in actu signato, & in apprehensione, trans. in actu exercito, & ut extra intellectum positam, nego, h. e. intelligit existentiam involui in conceptu Deitatis



tis, abstrahendo adhuc à reali exercitio existentia, eamque solum relinquendo in esse apprehenso, quia de hoc ipso explicito conceptu Deitatis nondum habet evidentiam, quod à parte rei & exercitio ita se habeat: ideoque cum tribuit DEO in apprehensione existentiam signatam, potest adhuc de ipso negare existentiam exercitam, & dicere cum insipiente: *non est DEVS*. Ubi nulla est contradictio: neque enim est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem.

10. Oppones tertio. Hæc propositio, *DEVS est colendus*, seu primum principium Synderesis est per se nota quoad nos: ergo etiam hæc inclusa: *DEVS est*. Respon. neg. consequent. nam illa propositio, *DEVS est colendus*, pertinet ad intellectum practicum, in quo ut sit per se nota quoad nos, sufficit quod in & per eundem intellectum practicum hæc inclusa: *DEVS est* non probetur; quamvis non nisi per discussum intellectus

speculativi, qui practico præsupponitur, in notitiam venerit.

Obijcies quartò. Contra rationem conclusionis primæ. *DEVM esse Trinum*, non est per se notum quoad se, & tamen Trinitas est de ratione DEI: ergo etiam si existentia sit de ratione DEI, non sequitur, DEVM existere esse per se notum quoad se. Respondent primò Bannez & Godoy neg. antec. siquidem omnes tres Divinæ Personæ existunt existentia absolutâ ipsius essentia Divinæ, ut habet S. D. q. 28. a. 2. Responderi potest secundò. neg. consequ. & paritatem: quia esse DEI tanquam intrinsicè pertinet ad constitutionem Divinæ essentia dicitur de illa in primo modo perfectæ absque indigentia & admissione alicujus medii virtualis: Trinitas autem Personarum præsupponit virtualiter essentiam constitutam, & ex processibus ac relationibus Theologicè probatur.

## ARTICULUS II.

*An & quomodo demonstrari possit DEVM esse?*

### S U M M A R I A.

1. Testimonia script. & PP. pro demonstrabilitate esse Divini.
2. Evidentia effectus probat existentiam cause primæ.
3. Fides Divina credit esse DEVM, ut amborem gratia.
4. Per effectus improporcionados causa demonstratur, quoad an est.
5. Qualem cognitionem rei spiritualis possint gignere species in representando materiales.
6. Esse DEI attingitur cognitione inadeguata.
7. Non sequitur naturalis demonstrabilitas Trinitatis.
8. Prima demonstratio ex motu.
9. Quo sensu vivencia moveantur à se?
10. Implicat in moventibus per se subordinatis processus in infinitum.
11. Altera demonstratio ex effectibus.
12. Necessaria realis distinctio inter producents & productum.
13. Prima implicancia circularis causalitatis in infinitum ex causalitate suiipsius.
14. Altera, quod infinitum esset pertransibile.
15. Tertia, quod nulla causa esset completa & efficax.
16. Quarta. Nulla esset sufficiens ad operandum.
17. Instantia ex accidente.
18. Instantia ex instrumento.
19. Infinitum finito additum non mutat predicata essentialia.
20. Quando nam sit diversitas inter partes distributive & collectivè acceptas?
21. Confirmatio ab exemplis.
22. Tertia demonstratio ex contingentiarerum creaturarum.
23. Possibilitas entis necessarij infert existentiam DEI.
24. Quarta demonstratio ex inaequalitate rerum.
25. Quinta ex ordinatissima mundi fabrica.
26. Varietas opinionum de invincibili ignorantia DEI.

27. Nullo casu admittendam suadet S. Script.

28. Et SS. PP.

29. Probat facillimus ascensus à Creaturis.

30. Notitia DEI pertinet ad prima principia honestatis.

31. Varia absurda, que sequerentur ex ignorantia invincibili DEI.

32. Quid dicendum ad Americanam existentiam.

### §. I.

*Probatur demonstrabilitas existentia Divina.*

**CONCLUSIO:** *DEVM esse est à posteriori ex 1. Creaturis evidenter demonstrabile.* Ita cum S. D. comm. Catholicorum DD. Oppositam S. D. vocat manifestè falsam. q. 10. d. ver. a. 12. & i. contra gentes c. 12. erroniam.

Probatur primo. Ex illo lap. 13. *Amaginitudine enim speciei & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri.* & Rom. 1. *Quod notum est DEI manifestum est in illis, DEVS enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea, que facta sunt, intellecta conspiciuntur, ubi verba cognoscibiliter videri, intellecta conspici, juxta SS. PP. interpretationem evidentem cognitionem denotant: nam Hier. in citatum Apostoli locum, tam evidenter, inquit, intellecta sunt, ut conspici dicantur.* August. tr. 2. in Jo. *potest inveniri per creaturam Creator evidenter, dicente Apostolo, invisibilia enim ejus &c. S. Maximus cent. 3. c. 1. conspicua creatura clarum probat notitiam, quod sit Creator.* Et D. Anselm. *notum DEI est, quod naturali ingenio sciri potest de DEO.*

Probatur secundò ratione. Quoties est evidens existentia effectus, toties à posteriori est evidenter demonstrabilis existentia causa: sed evidens est existentia creaturarum, seu effectus: ergo à posteriori etiam est evidenter demonstrabilis existentia Creatoris, tanquam cause primæ.

Dices